

primis eius successoribus ad aëris, Pythagoreis vero nonnullis atque Heraclito Stoicisque ad ignis naturam proxime videbatur accedere. A diuersis autem dissimilibusque inter se corpusculis primam materiam Pythagoreis, Empedocles cum plerisque Pythagoreis, Democritus, Epicurus, composuerunt, eiusdemque materiae alii vnā, aut nonnullas etiam partes animatas esse affirmabant: alii contra totum istius primae materiae genus sensu & intelligentia voluerunt omnino carere. Iam illorum, qui ad materiam primam diuinae mentis adiungebant effectiōnem, princeps, inter Graecos quidem, Anaxagoras ipsam supremam mentem per vniuersam intendi rerum naturam fundique putabat, cui rerum ordo atque descriptio accepta debeat referri, in qua sententia & Socrates fuisse videtur: Plato contra, hoc muneris supremo Deo indignum iudicans, aliam quandam comminiscetur intelligentem naturam, a supremo Deo natam genitamque, quae, cum penetraret se per omnem materiam, eique fingendae formandaeque esset praefecta, mundi anima vocaretur. Horum cum vterque iudicio Deum atque voluntate ad digerendam accessisse materiam praedicaret; Aristoteles, deferens istam rationem, necessario inuitabilique vinculo Deum cum materia copulauit, multiplicibus confictis sphaeris atque orbibus, quorum singulis singulae, supremo autem orbi suprema praesit intelligentia, tamquam motionis ordinisque principium.

§. II.